



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

15. Pœnitemini, & credite Euanglio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39463**

ricum Sanctum ita penitus non ignorassent. Prætereâ, baptis-  
 3. mus Ioannis, ipsius Ioannis proprius erat, & ab eo nuncupa-  
 Matth. 21. tus, sic loquente ipso Christo: *Baptismus Ioannis utrum de ca-  
 lo erat an non?* Apostolorum & Ecclesiæ Christianæ baptis-  
 mus, nec Petri nec Pauli baptismus, sed Christi dicitur: quia  
 per illos omnes non nisi vnus Christus baptizat. Sic alias tres  
 ex verbo Dei differentias inuenimus, & nequiter mentitur

*Ex puro  
 mendacio  
 totâ Anti-  
 quitatem  
 rejicit Cal-  
 uinus.*

Calvinus est, vt vnanimem veterum Patrum sententiam sub  
 prætextu Scripturæ aliud docentis homo peruicax rejiceret.  
 Sed hæc est hæreticorum hodie impostura: Patrum consen-  
 sum se rejicere aiunt, quia plus Scripturæ deferendum. Re-  
 autem examinata, non plus Scripturæ, sed plus suis propriis  
 placitis ac phantasmatis deferunt. Denique aut Scripturam  
 non proferunt, aut suo fermento illam corrumunt. Nec tunc  
 quæstio est, an propter Patrum calculum Scripturæ certitu-  
 do quarefacienda sit, sed quæstio est an in sensu Scripturæ  
 incerto propter nouellum cuiuslibet hæretici sensum, vete-  
 rum Patrum vnanimis consensus reiiciendus sit. Postremo  
 quæstio est vter melius Scripturas intellexerit, vnus Calui-  
 nus ac Beza, quàm vnus Augustinus totque alij antiquissi-  
 mæ Ecclesiæ celeberrimi ac doctissimi Patres. In qua quæ-  
 stione si nouellis magistris deferimus, surgent & alij nouelli  
 (sicuti post Lutherum surrexit Calvinus) qui idem postula-  
 bunt. Ita nouo cuiuslibet doctrinæ vento perpetuò circum-  
 feremur. Sed id ne fieret, *Pastores & doctores dedit Ecclesia  
 sua Christus, ad consummationem sanctorum, id est, ad con-  
 fortationem fidelium; nec id ad breue tempus, sed donec oc-  
 curramus omnes in unitatem fidei (id est, donec impleantur  
 tempora Gentium:)* vt iam (ab his doctoribus & pastoribus  
 instructi) *non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur  
 omni vento doctrinæ per nequitiam & astutiam hominum ad  
 circumuentionem erroris.*

### 15. Pœnitentini, & credite Euangelio.

*In Harmō.  
 ad Marc. I* **H**æc verba duplici cauillo conatur eludere Calvinus  
 Quæri (inquit) potest quomodo ex Euangelio pendeat pœni-  
 tentia, cur eam Marcus ab Euangelij doctrinâ separet. Primum  
 non Marcus, sed Christus hæc verba dixit. Deinde Christus  
 pœnitentiam ab Euangelij doctrinâ non separat, vt fingit  
 Calvinus; sed ad fidem Euangelio præbendam, seu ad creden-  
 dum Euangelio, viam ac præparationem necessariâ esse pœni-  
 tentiam



nitentiam docet. At si ita est, quomodo ex Euangelio pende-  
bit *pœnitentia*? ait Calvinus: id est, quomodo crit meum para-  
doxum verum, quod prius oportet credere Euangelio, & per  
illam fidem Deum sibi habere certò propitium, vt sic pœni-  
tentia serio studeatur? Sic enim alibi docet, vt alio in loco  
ostendimus. Duplex (inquit) solutio est. Nam Deus interdum  
sic nos ad respiscendum inuitat, vt tantum dicat mutandam esse  
in melius vitam: postea conuersionem & vita nouitatem Spiri-  
tus sui donum esse ostendit: vt sciamus non tantum nobis præci-  
pi quod officij nostri est, sed obsequendi gratiam & virtutem si-  
mul offerri. Hic Calvinus ex parte falsum narrat, ex alia parte,  
qua verum dicit, suis placitis contradicit. Falsum est, Deum  
interdum ad pœnitentiam sic inuitare, vt tantum dicat in me-  
lius mutandam esse vitam. Semper enim peccati præteriti on-  
dium, & propter offensum Deum tristitiam ac dolorem Scri-  
ptura à pœnitentibus flagitat. Quod autem dicit & verum di-  
cit, vitæ nouitatem Spiritus sanctus donum esse, Deumq; non  
solum præcipere, sed etiam obedientia & exsequendi facul-  
tatem conferre, alteram Caluini hæresim funditus euerit, qua  
docet Dei mandata obseruari non posse, nec ad ea nos obli-  
gari, nec Spiritum Christi in adiutorium nobis dari, vt ad  
iustitiam consequendam nos iuuat, nec vt per eum adiuuemur  
ad iustitiam summam, sed vt beneficia Christi in cordibus no-  
stris obsignet, ipseque Christus tota nostra sanctificatio ac  
iustitia sit. Sed pergamus cum Caluino hoc in loco. Si hoc  
modo accipimus (inquit) quod Ioannes concionatus est (de  
pœnitentia agenda in remissionem peccatorum) sensus erit,  
Dominus vos ad se conuerti iubet. Quia verò id non potestis  
propria industria, Spiritum regenerationis promittit. Quare  
hanc gratiam fide amplecti vos oportet. Omnia confundit &  
peruertit Calvinus. Ioannis Baptistæ prædicatio (de qua ra-  
men hic non agitur, sed de Christi) illa erat, vt pœnitentiam  
ante omnia agerent, non quidem propria industria & solis  
naturæ viribus, sed ex speciali diuinæ gratiæ adiutorio, quo  
nec veteris legis iusti, nec qui tunc erant fideles Iudæi care-  
bant. Spiritus regenerationis, quæ vitæ nouitatem inducit,  
promittitur quidem pœnitentibus, vbi Deo reconciliati pec-  
catorum remissionem consecuti fuerint: non quia fide illam  
apprehenderunt (somnia hoc Caluini est) sed quia creden-  
tibus & pœnitentibus, dignaq; pœnitentia opera facientibus  
(vt Paulus concionari solebat) ille Spiritus regenerationis  
per Christum confertur; pariter & vna cum ipsa remissione  
pecca

In Promptu  
Catho. par.  
Quadrage-  
simæ in Sab-  
bato hebdoma-  
de 2.

Instit. lib.  
3. cap. 17.  
num. 2. &  
cap. 1. nu-  
1. & seqq.

Pœnitentia  
ordo à Cal-  
uino inuer-  
sum.

Act. 26.



peccatorū. Et hoc modo pœnitentia semper præcedit ipsam regenerationem & remissionem peccatorum quam Euangelium docet. Spiritus regenerationis fide apprehensus, ut Calvinus loquitur, id est, credere quod pœnitenti ille Spiritus à Deo impertietur, non facit ut homo ritè pœniteat, nec qualemquam in eo operatur in quo nondum est, & cui nondum colatus est, ut sic propriæ industriæ defectum ille supplèat, iuxta Calvinum figurè, sed specialis Dei gratia quæ hominem ad pœnitentiam excitat (est enim & illa donum Dei singulare) humanæ industriæ impotentiam supplet, facitque ut homo veram & legitimam pœnitentiam agat.

Sed hîc Calvinus memor se Spiritui regenerationis & novitati vitæ plus tribuisse quàm aliàs solet, aut quàm solius fidei iustificantis doctrina permittit, seipsum tempestivè corrigit & dicit: *Quamquam fides quam haberi Evangelio Christi postulat, minimè ad donū renovationis restringi debet, sed præcipuè ad peccatorum remissionem spectat. Coniungit enim Iohannis pœnitentiam cum fide, quia se ideo Deus nobis reconciliat, ut tanquam Pater à nobis sanctitate & iustitia colatur.* Præ-

Calvini doctrina ex seipso refutatur.

cupatione hæc utitur Calvinus, quia perpetua eius & suorum doctrina est, fidei iustificantis obiectum nihil aliud esse quàm gratuitam peccatorum remissionem in Euangelio prædicatam à fide apprehensam. Nunc autem affirmat spiritum quoque regenerationis per fidem, quam Evangelio habemus, apprehendi, ut fide iustificemur. Respondet autem non ad hoc donum renovationis restringi fidem, sed præcipuè ad remissionem peccatorum spectare. Quæ responsio tametsi in forma recipiatur, satis adhuc eius altera sententia refutatur. Satis enim nobis est quod ad hoc donū renovationis fides spectat. Non volumus ad hoc donum fidem restringi. Planè volumus ad remissionem quoque peccatorum fidem ampliari. Sed volumus, & vult Scriptura, ut ad utrumque fides spectet, iuxta illud

Tit. 3.

Pauli: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis (ubi peccatorum remissio innuitur) & renovationis per Spiritum sanctum quem effudit in nos abundè.* Satis nobis est, Deum se nobis ideo reconciliare, ut postea colamus eum in sanctitate & iustitia, quod hîc fateatur Calvinus. Sic enim nō in sola remissione peccatorum, nec in sola fide eam apprehendente, salus & iustitia nostra consistit (quod Catholica damnat Ecclesia) sed præterea in Spiritu regenerationis & vitæ novitate, quæ altera & potior est Christianæ iustitiæ pars. Sed hoc in prioris solutionis suæ gratiam ponere & eocedere coactus est Calvinus.

Poste



Posterior Solutio est: *Credere Euangelio*, in his Christi verbis tantundem valere atque *gratuitam iustitiam amplecti*. Sæpe enim in Scripturis specialem istam inter fidem & remissionem peccatorum relationem occurrere, sicut quum docet nos fide iustificari. Hæc altera solutio per se absurdissima est, & eius confirmatio penitus insulsa. Absurdum & impium est, *Credere Euangelio*, hunc sensum habere, *Gratuitam iustitiam amplectimini*: quasi Euangelium eiusque prædicatio nihil aliud credendum fidæque amplectendum contineret, quàm gratuitam iustitiam maximè in sensu Caluini, qui per gratuitam iustitiã non plus intelligit quàm gratuitam remissionem peccatorum, quæ initialis & minima pars iustitiæ Christianæ est; sanè & priuatio veteris formæ inter principia rei generandæ minimum & maximè improprium principium est. *Credere Euangelio*, est omnia credere quæ Euangelium de Deo, de Christo, de tota fide ac salute humana docet. Solutionis confirmatio insulsa est. Hæc enim eius vis & consecutio est: *Occurrit sæpe in Scripturis inter fidem & remissionem peccatorum relatio*, id est, sæpe in Scripturis remissionem peccatorum credere docemur: ergo hoc in loco, *Credere Euangelio*, significare debet credere *gratuitam iustitiam*, quæ est (in sensu Caluini) remissio peccatorum. Insulsa & friuola hæc cõsecutio est: primùm, quia etsi sæpe ita se res habeat, quum etiam sæpe aliter se res habeat, & aliis in locis sapissimè fides alia quàm plurima obiecta respiciat, nulla est consecutio, vt hoc in loco ad illud vnũ obiectum fides restringatur. Deinde, Euangeliũ multo plura in se complectitur quàm gratuitam peccatorum remissionem. Non ergo sequitur: *Credere gratuitam remissionem peccatorum sæpe scriptura docet: ergo quum dicitur, Credere Euangelio, idem & non aliud docere putanda est.*

Sed quomodo hoc ipsum Caluinus probat, quòd fides sæpenumero in Scripturis ad peccatorum remissionem refertur. *Sicuti* (inquit) *quum docet nos fide iustificari*. Egregia scilicet probatio, quæ sola novella sanctæ Scripturæ corruptela nititur. Nam fide iustificari in Catholica hætenus Ecclesia, nūquam illum sensum habuit, fide amplecti gratuitam iustitiã. Nouella hæc est & horum temporum corruptela pestilens. Fide iustificamur in sensu veterum Ecclesiæ patrum, maximèque S. Augustini (loquendo de ipsa in se fide) quia totius iustificationis nostræ coram Deo fides, qua in Deum & Christum eius credimus, fides (inquam) sana & orthodoxa, omnia credens quæ diuinitus ad credendum reuelata sunt, radix

*Euangelio credere quàm latè patet.*

*Fide iustificari quid.*



Galat. 5.

Sabbato  
hebdom. 2.

principium, & fundamentum est: nec sine illa iustificari quisquam potest. Aut certe fide iustificamur (loquendo de perfectione eius) non qualibet, sed (ut Paulus docuit) fide per charitatem operante. Ita utraque Caluini solutio contra tam perspicua Christi verba, quibus poenitentiam fidei ut medium fini anteponit, varia impietate & absurditate plena est. De poenitentiae doctrina à Caluino deprauata vide multo plura in Promptuarij nostri Catholici parte Quadragesimali.

## IN MARCI CAP. III.

16. Et imposuit Simoni nomen Petrus.

**Q**UAE SERVANT hoc loco Catholici (quod & nos olim fecimus) Christum noui nominis impositionem, quod antea Simoni promiserat, quam primò eum intueretur dicēs: *Tu vocaberis Cephas*, eo demum tempore dedisse, quo duodecim designauit Apostolos, ut eodem videlicet momento de capite futuro prospiceret, quo de futuris pastoribus prospexit: quia foris tunc coepit quasi in utero Christi parturiri noua Christi Ecclesia. Obseruant quoque hoc nouum nomen illi singulariter, & soli à Christo impositum, aliquā in eo nouam & singularem praeter ceteris praerogatiuam notare: sicut in mutatis à Deo nominibus Abraham, Sarai & Israël, factum fuisse Scriptura demonstrat, & diligenter explicat Chrysoströmus. Indignè fert hoc totum Caluinus, & ait. *Ridiculi sunt Papista, qui ex hoc nouo nomine colligunt fundatam in eo esse Ecclesiam, ut fusiū explicabitur cap. 16. Matthaei.* Atqui eodem loco iam ostendimus non minus ridiculè quàm impiè manifesta veritati in Scripturis reuelatae Caluinum reluctari: vanumque ac ridiculum esse quod illic repetens hinc affirmat, *Christum pro mensura gratiae qua Simonem instruere volebat, peculiare illi nomen imposuisse.* Sanè pro mensura gratiae qua Christus suos instraxit, cui respondet mensura operis ac mercedis, Paulo potius, qui plus omnibus laborauit, siue Ecclesiasticam praedicationem, siue certamina & persecutiones eius respicias, qui electionis fuit ut portaret nomen Christi in Gentibus, cui Christus ostendit quàm multa pro nomine eius pati debuit, qui denique non ab homine neque per hominem, sed ab ipso Christo de caelo vocatus Euangelium suum accepit, peculiare hoc nomen potius quàm Simoni Petro imponi debuit. Sanè pro maiori mensura gratiae qua instructus erat Paulus, distinguit B.

Petri nom  
in nomen  
Primitus  
indiciū.

1. Cor. 15.

2. Cor. 11.

Act. 9.

Galat. 2.

Ambro